

AD RECENSIONEM
BULLARII ROMANO-SVEOGOTHICI,
A NOBIL. A CELSE EDITAM,
ACCESSIONE.
CUJUS PROLEGOMENA,
Venia Fac. Philos. R. Acad. Aboënsis,
PRÆSIDE
Mag. HENRICO GABRIELE
POR THAN,

Eloqu. Professore Reg. & Ord. Reg. Acad. Litt. Human. & Antiquitt.
nec non R. Soc. Scient. Upsal. Membro,

Publicæ bonorum censuræ submittit
FRIDERICUS BERGMAN,
BOREA-FENNO:

In Auditorio Majori die XXIII Junii MDCCXCVII,
H. P. M. S.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

THESES RESPONDENTIS.

THESIS I.

Quod Poëtis dedit præceptum Horatius: *non satis est pulchra esse poëmata, dulcia sunt, et quocunque volent, animum auditoris agunt;* illud non minus sibi scriptum esse Oratores putent.

Thef. II.

Physiologiæ quædam cognitio quanti sit momenti illis, qui Psychologiam feliciter tractare volunt, non uno exemplo constat. Quo minus placet eorum ratio, qui nonnisi meditationibus indulgentes abstractis, singularem se huic Scientiæ lucem accendisse glorianter.

Thef. III.

Quod veteri dicitur proverbio, *verba valere ut nummos*, id vel *voluptatis* confirmat vocabulum: quod alias maxime laudatum, alias fere infame habitum, et priscis et recentissimis temporibus, valde dissimilem expertum fuit fortunam. Non est tamen existimandum, ipsas hominum sententias adeo semper fuisse diversas, ac eorum formulas discrepasse reperimus.

Thef. IV.

Qui vestigia aliorum premit, eum facta horum tacito approbare consensu, adeoque hæc etiam illi propterea recte posse imputari, qui statuunt, doctrinam de Imputatione valde pervertunt.

Thef. V.

Officium veritatem dicendi, pacto cuidam esse superstructum, ut generaliter contendamus, minime opus est; non enim lingua, magis quam manu vel alio quocunque membro, lèdere alios licet.

Thef. VI.

Justitia sæpe quidem durior in quosdam videtur; sed natura tamen sua semper benefica est.

Thef. VII.

Pulchra omnino sunt Senecæ verba: *Hoc ab homine exigitur, ut profit hominibus, si fieri potest multis, si minus paucis, si minus proximis, si minus sibi.*

Thef. VIII.

Eleganter virum bonum descriptis idem Seneca, eum, qui ab honesto nulla re deterretur, ad inbonesta nulla utilitatis spe incitatur.



PROLEGOMENA.

Jam dudum apud Patriæ consultos Historiæ in confessio fuit, inter fontes ejus præcipuos, quod ad tempora attinet ætate R. Gustavi I superiora, *Literas* (seu ut vulgo appellantur, *Bullas*) *Pontificum Romanorum*, ad nostros olim Reges, Viros Principes, Episcopos cæterosve Ecclesiarum Antistites, vel ad quoscunque nostris de rebus scriptas, esse referendas. Eas igitur colligere, consulere atque Commentariis suis Historicis, testimoniorum documentorumque loco adjungere, nobiliores rerum nostrarum scriptores passim studuerunt. Quin plenam illarum, quotquot investigare poterant, collectionem adornare atque in usum Historiæ nostræ insignem luci exhibere publicæ, instituerunt duumviri de rebus nostris priscis illustrandis immortaliter meriti, Nobb. OERNHIELMIUS et PERINGSKÖLDIUS (*a*); sed fatali obstante, quæ tot alia oppresfit egregia consilia, de re nostra literaria promovenda inita, penuria Mercatorum Librarium, impensis, tam grandis in primis operis prelo typographicō subjiciendi, necessariis faciendis parium atque paratorum, successu caruerunt. Quamobrem fructus tam impigri tamque utilis laboris prope fuit ut totus periret; neque omnino ex illa calamitate damnum resarciri hucusque potuit (*b*). Nobil. itaque MAGNUS A CELSE (*Reg. Cancellariæ Consiliarius et Regni Historiographus*), spe thesauri Bullarum ipsarum Historiæ nostræ studiofis aliquando offerendi ille etiam dejectus, in-

A

dicem

(*a*) Vid. MAGNI A CELSE *Apparat. ad Hist. Sveo-Gothicam Sect. I.* (Bullarii Romano-Sveo-Gothici recensionem sive.) §. II & III.

(*b*) Cfr. I. c.

dicem tamen earundem, quotquot ad suam pervenissent notitiam, secundum ordinem temporum digestum breve adjecta argumentorum recensione instructum, publici juris facere, utilissimo sane instituto prudentibusque rerum patriarcharum studiosis quibusvis gratissimo, decrevit (*c*). At vero jam pridem questi sunt, qui studium his rebus impenderant, magnam apud nos harum Bullarum vim (ex quibus multum lucis ad varia Historiae Scandicæ capita adfulsurum erat), partim fortunæ sœvitia, partim hominum culpa, intercidisse; cuius iacturæ reparandæ nulla alia remansit spes, nisi quæ ex Aulæ Pontificalis indulgentia atque favore tota penderet: si nempe alicui literarum nostrarum vel Patrono vel cultori adeo esse felici liceret, ut exempla Bullarum apud nos desideratarum (ac ad nostras tamen res pertinentium) ex ipsis Tabulariis Summorum Pontificum descripta nancisci sibi contingeret, atque præstantissimo inde munere populares suos augere? Sed diu frustra hæc vota fuerunt (cujus rei commemorare causas necesse non est); donec Generosissimus Dn. CAROLUS FRIDERICUS FREDENHEIM, Supremus jam Ædificiorum Regiorum, omnisque per Patriam rei Ædificatoriaæ, Pictoriae et Sculptoriae Praefectus, Eques Auratus Ordinis Regii de Stella Polari, studio insigni quo semper flagravit Artium quarumcunque Liberalium in Patria promovendarum (*d*) impulsus, occasionem tandem inveniret pulcherrimo bene-

(*c*) Cfr. I. c. Praef. p. 2.

(*d*) Dum Expeditioni (quæ dicitur) Rerum Exterarum in Regia Cancelaria præcesset, nulla non usus opportunitate commercii fovendi literarii cum viris gentium peregrinarn celeribus, artium quartumcunque liberalium apud nos incremento fructuosi, illorum sœpe rogatu ingenii monumenta quæ Regi Augustissimo innotescere cupiebant, summo huic artium literarumque patrono exhibuit; qui pignora contra benignioris sui de iis judicii per illum non raro ad auctores transmitti jusfit, atque ejus etiam fuaſu Romæ virum diligentem artiumque elegantium peritum diligendum judicavit, cui negotia sua ad harum monumenta patriæ comparanda, earumque studiosos Svecos, discendi causa ibi commorantes, consilio opeque juvandos pertinentia committeret eu-

beneficio Historiani patriam ditandi. Quippe qui, cum Nob. A CELSE suam *Bullarii Romano-Sveo-Gothici Recensionem* a 1782 in lucem edidisset, exemplum hujus libri, non multo post (*e*), Rege annuente, Illustri PIRANESIO transmisit, Papæ jam regnanti PIO VI exhibendum, adjuncto simul voto, humanissimo Principi ac Artium Literarumque Patrono benignissimo submisso significando, ut Bullarum ad res Svecicas illustrandas pertinentium atque in Tabulariis Summi Pontificis asservatarum, quæ in *Celsiano Indice* desiderarentur, (quasque apud nos non amplius superesse, hinc appareret), describi benigne permittere atque cum republica literaria communicari. Cujus hoc consilium Princeps laudatissimus tam prolixa exceptit benivolentia, votoque nostrorum tam liberaliter indulxit, ut vix quinque elapsis mensibus, exempla Bullarum aliorumque monumentorum, Historiæ Sveciæ Septentrionisque nostri universi, non solum Ecclesiasticæ sed etiam Civili, lueem præbentium CLXXXIII, inter annos 1198 et 1585 exaratorum (*f*), ex variis Tabulariis, (ne arcano quidem illo Castelli S. Angeli excepto) diligenter conquistorum nitideque descriptorum, sua manu Pontifex Piranesio traderet (*g*), *Fredenheimio* transmittenda. Quod liberissimum munus (d. 23 Nov. ej. a. Stockholmiam adiectum)

quanto

xanda (*Agent*): quæ cura mox (a. 1783, d. 17 Febr.) Illustri viro Dn. FRANCISCO PIRANESI, poitea Ordinis R. de Stella Polari Equiti Aurato, ac Legati ibidem Svecici munere ornata tradita fuit; cui præscripta a Rege (d. 28 Martii ej. a.) negotii gerendi ratio (*Instruction*) etiam curam rerum ad Historiam Svecanam illustrandam pertinentium eidem nominatim inculcavit.

(*e*) Die 17 Aprilis ej. a.

(*f*) Quorum in numero exempla erant Epissolarum IV, a R. Gustavo I et Senatu Regni Svecici ad Papam Adrianum VI a. 1523 missarum, quæ in Archivo Regni desiderabantur, quæque typis jam (indulgente Generolisf. Possefore) descripta legi posunt in Celeb. OL. A. Knös *Analectis Epistolar. in primis Historiam et res litterarias Sveciae illustrantibus*, Spec. III p. 33-42.

(*g*) Die 6 Octobr. ej. a.

quanto nostratum exceptum sit plausu, vel honorificentissimum testatur Illustrissimi Collegii quod Regis Regnique Cancellariæ præest (cuique hanc felicitatem suam Generosiss. FREDENHEIM indicandam existimaverat) judicium, Actis suis inscriptum (h).

Cum vero hoc eodem tempore in editione paranda Operis Diplomatici Svecani (fontium Historiæ nostræ præcipuorum usum certiorem commodioremque nobis præbituri, cuius successum consilii rursus fuisse fuslaminatum, nobiscum omnes dolent rerum patriæ præteritarum diligentius cognoscendarum studiosi) versaretur Cel. CAROLUS GUST. NORDIN, *Eloqu. & Poëeos Lector Hernösandenfis, Præpositus, Historiographus Ord. Regiorum, & Academice Svecanæ Octodecimvir*; perito acutoque huic antiquorum nostrorum monumentorum judici novum Thesaurum diligenter pervolvendum Generosiss. FREDENHEIM mox concessit: monens, ut si quid porro opis ex eodem fonte hau riendum superesse sibi videretur, mentem ea de re aperiret suam. Qui egregia hac usus opportunitate, dubia et quæstiones varias, de ætate atque fide Bullarum quarundam apud nos ante cognitarum, sed ab omni suspicione non immunium &c. proposuit, Archivorum Romanorum ope facile fortassis explicandas. Cumque interim Vir Generosissimus (qui primum existimaverat sibi, homini privato, non aliter quam per PIRANESIUM, qui suam haetenus interposuerat operam, gratias agere tanto Principi licere, cui hucusque non nisi nomine tenus innotuerat) factus certior fuisset, Papæ non displiciturum si confidentius ipsum per literas adiisset, atque cum gratum suum doctorumque suorum popularium ob transmisum sibi jam munus literarium explicuisset sensum, tum vota nova exposuisset: huic rationi insistens, literis ad Pontificem (d. 18 Martii a. 1784) datis pietatem

(b) Legendum in Ephemeridibus (*Protocollo*) R. hujus Collegii, d. 1 Dec. a. 1783, quod sc. non tantum vehementer sibi placere tam laudabile consilium, ejusque successum Historiæ Patriæ fructuosum, testabatur, sed etiam Generosiss. Virum, ut studio quo haetenus, de illa bene mereri pergeret, rogavit.

pietatem testatus est & superiori beneficio debitam, & novo præterea in Historiam nostram favore (Codicum scilicet Manuscriptorum Indice nostratium in usum condi jusso, quæ res patriæ nostræ spectantes, in Bibliotheca Vaticana asservarentur) nuper auctam. Qua usus opportunitate, (adjuncto scripto Cel. NORPINI accurato) supplex simul Pontificem rogavit ut propositis dubiis lucem ex uberrimo Tabulariorum Romanorum fonte affundi benigne juberet (*i*). Idque consilium non minus feliciter, quam superius illud, successit. Quare minime ingratam nos Historiæ Patriæ amicis rem præstituros putamus, si ipsa monumenta, benigne nobiscum communicata, ex quibus lucidius etiam discere horum actorum ordinem licebit, in posteritatis memoriam (additis notulis ad quædam loca explicanda pertinentibus) hic subiungamus. Itaque primum dabimus literas Generosissimi FREDENHEIM, quæ tales erant:

PIO PAPÆ VI

Gloriosissime Regnanti.

Quod me inter E³ Negotiorum Gestorem Piranesh, Equitem, fuit epistolarum antiquitates artesque spectans commercium, vel ideo magni aestimaverim, quod hoc ipsum animum mihi primum addidit Sanctitati Vestre submisæ exhibendi Litterarum Papalium, quæ Sveciam vel Svecos tangerent, indicem, qualem nuper adorna verat Doctissimus Magnus a Celse; a quo quidem proposito nec

A 2

suspi-

(*i*) Cum eodem circiter tempore Pictor nostras egregius, Dn. Elias Martin, pulcram delineasset Urbis Templique Cathedralis Upsaliensis descriptionem, (loci præ aliis Suecicis apud exteros, et maxime Italos, celebrati), hanc Tabulam, diligenter elaboratam, speciminis simul instar artium elegantiorum apud nos conditionem demonstraturi (libris etiam quibusdam præstantioribus, ut eximio Thunbergii opere *l'Art de batir sous l'eau*, postea adjectis, ac imprimis ab eruditis popularibus Latine editis, antiquitates nostras etc. spectantibus, ut litterarum inde in Patria nostra cognosci status quodammodo posset,) Principi litteratisimo artiumque fautori eximio obtulit, singula locum in splendida sua Bibliotheca privata, seu domestica, inventura,

suspicabar omnem abesse audaciam, donec adferrentur nitidissima illa exempla Bullarum, quarum ne quidem notitia ad nostros penetrasset. Hisce enim Sanctitas Vestra, Cujus iusfu, me rogante ex Romanæ sedis Chartophylaciis exscriptæ sunt, non solum declarare dignata est antiquitatum studia cum bonis artibus et liberalibus sibi curæ esse, sed etiam non displicuisse meam qualemcumque industriam.

Historia igitur Patriæ tum Ecclesiastica, tum Politica, nova hac luce comitante, non incerto pede per medii ævi tenebras vagabitur, sed firmiori jam gresu incedet.

Quæ nostra mens fuit, ut is, per quem hocce Sanctitatis Vestræ egregium munus nobis cesit, commode gratissimum, quem gerimus, statim significaret animum, subdubitatem tamen an integrum nobis foret litteris Sanctitatem Vestrām interpellare, præser-tim antequam potuerimus rationem reddere, in quos usus id ipsum convertissemus: hæc, inquam, in causa fuit, cur tamdiu desliterimus tanti meriti gratiam verbis, ex venerabundo pectore profectis, rependere. Verum cum jam in eo essemus, Roma venit, repetito Sanctitatis Vestræ favore, Pars prima Catalogi manuscriptorum, e celebratissima quondam Reginæ Christinæ Bibliotheca erutorum, quæ non mediocriter res Svecanas illustrant, atque jamjam peropportune deteguntur, cum Rex Noster Clementissimus, quem oculis animisque semper præsentem gerimus, Urbem invist; quippe Qui optime no-verit, quæ ad Patriæ dignitatem ac decus pertinere arbitretur, ita componere, ut, quod sæpe factum est, præsto sint inopinato commodo nostraque præcurrant desideria: id quod in hac ipsa re, et nullo potius quam hoc ipso obtingere potuit tempore, quo litteræ humaniores artesque partes Europæ extimas sociant earumque Principes.

Ut ad nos venit laudatus hicce Catalogus, statim libros, quibus acta et scripta superioris saeculi continentur, evolvendos curavimus, et quidem per illos, qui tempus suum in colligendis monumen-tis.

tis nostris collocarunt; quo factō reperimus, utique maximam partem eorum quæ in Catalogo recensentur, typis nec vulgatam esse, nec apud nos manu exarata comparere. Sitim igitur movet Historicis nostris notitia manuscriptorum, quæ eo magis aestimemus oportet, quod idoneus sane vir ^(*) nuper, jubente Optimo Rege, in se suscepit partes explicandi res gestas Gustavi Adolphi et summo Parenti non imparis Filiae Christinæ Reginæ.

Revertor ad eximum illud Bullarii auctorium, Collectionem loquor ex liberalitate Sanctitatis Vestrae obtentam. Illa autem una cum bullis ab A Celse recentis (omnes jam numerum millenarium superant) eximum occupabit locum in Corpore Sveciae Diplomatico, quod auctoritate publica, indefeso studio parat nostratum aliis ^(**), qui tamen subvereri haud desinit, multum remoræ huic aperi factum iri ex dubiis quæ circa ætatem, integritatem, cetera, Bullarum oriri soleant; quare etiam, ad abolendum istiusmodi dubia, ad Indicem Celsianum plurima notavit, quæ si explanarentur, recta via se ad metam perventurum optatam putat. Has questio-nes, hæc desideria, qualia exhibuit, Romam ad laudabilem Equitem Piranesi mitto, ut constet, quam certas spes Diplomaticus noster in Archivis Romanis reposuerit. Stat penes Sanctitatem Vestram, ad devotas preces nostras clementissimo nutu efficere, ut brevi ad perfectionem venerit dictum Bullarium, ex quo non minus Romanæ sedis, quam Patricie Historia lucrum est factura. Interea Reipublicæ Litterarioræ ovantes quasi splendida hæcce dona venditamus,

^(*) Celeb. JONAS HALLENBERG, jam *Regni Historiographus*, et Socius R. Acad. Litterarum Humaniorum, Historiæ atque Antiquitatum; qui diligentissimi operis, res Svecicas regnante Gustavo Adolfo gestas explicantis (*Svea Rikes Historia under Kanung Gustaf Adolfs den Stores Regering*) V hactenus Tomos edidit (Stockh. 1790-1796, 2:o), reliquos sensim adjecturus.

^(**) Cel. NORDIN, de cuius instituto; sed abrupto postea opere, nuper commemoravimus; quod ut perficiatur (Tomum primum prelo paratum vidimus), valde optamus.

mus, contexendo exscriptarum Bullarum elenchum, quem inseret Nobil. A Celse Apparatus Historici parti secundæ propediem in lucem prodituræ ().*

*Nisi quo temporis articulo hœ litteræ Romæ resignarentur, judicarem adferri quoque tabulam (**), quam ut inserviret Sanctitatis Vestrae magnifico Thesauro adaugendo, ob loci eminentiam pingi curavi, vix ea digna esset quæ a me nunc commemoraretur. Quod in votis habeo, est, ut ista fœse probaverit Sanctitati Vestrae, Cujus in istiusmodi rebus æstimandis exquisitissimum judicium non parum ornamenti addit reliquis, quibus claret Sanctitatis Vestrae Nomen, meritis.*

Supereft, ut quod primum mihi fuisse faciendum, jamjam peragam, scilicet Sanctitati Vestrae summas maximas pro clementer concesso ac multipli favore, quem et posthac submisse mihi expecto, habere gratias. Qui didicimus Optimum Regem nostrum votivo pectore colere, non possumus non in quovis Principe veneratione prosequi virtutem, sapientiam animique magnitudinem, in quibus, ut nomine, ita re Pium cognoscimus, suspicimus.

Sanctitatis Vestrae

*Dabantur Stockholmiae
die XVIII Martii
anno MDCCCLXXXIII.*

*eliens devotissimus
Carolus Fredericus a Fredenheim.*

Quas literas Pontifex adeo faventer excepit, ut non modo novis munieribus literariis splendidissimis liberalitatem suam augeret, sed etiam responso hujusmodi, dignaretur:

PIUS

(*) Hanc vero spem interveniens mors Senis intercepit.

(**) Illa ipsa significatur delineatio urbis templique Upsaliensis, de qua supra commemoravimus.

PIUS P. P. VI.

"Nobilis Vir Salutem et Lumen Divinæ gratiæ. Literæ a te ad Nos humanissime datæ, Libri que Svecicas eruditiones attingentes quibus liberalitate tua ditior nostra domestica Bibliotheca est effœcta, Nos libenter adducunt, ut ad te mittamus B. Maximi opera, quæ collatis majori quoad licuit diligentia Codicibus in unum volumen digesta sunt. Editioni præfatæ ad bonarum artium cultum, quo non mediocriter delectaris, volumen primum adjunximus novi Musei in Vaticano constituti, quod Jo. Bapt. Vicecomes Romanorum antiquitatum, dum in vivis erat, Curator maxima forma publici juris fecit. Operis complementum, quando in lucem prodibit, ne tibi defit, nostra erit cura. Non dubia observantiae officia, quibus nostram tibi concilias benevolentiam, acceptissima nobis acciderunt; ac Deum Opt. Max. precamur, ut te diu in columem omnique prosperitate florentem servet, ac cœlesti Divinæ gratiæ lumine perfundat.

Datis Romæ apud S. Petrum VII Idus Martias MDCCCLXXXV Pontificatus Nostri Anno Undecimo." (Ac in imo paginæ: Callistus Marinius, a Latinis Epistolis Sandisimi.)

Cumque porro Generosiss. FREDENHEIM, qui ob exper-tum Pontificis favorem atque munificentiam magno esse in ære sibi videbatur, atque literariis porro mittendis munusculis, qualia noster præstare septentrio posset, (novis mox donis sibi liberaliter repensis) gratam interim testari mentem studuisse, animum ad iter Italicum appulisset, et Romæ præsens venerabundum Papæ (*), ob tot tanta que gratiæ suæ pignora sensum explicuisset; non modo veniam obtinuit Bibliothecam Vaticanam li-bere adeundi (qua diligenter usus fuit, indices monumentorum Svecicorum cum libris ipsis conferendo et augendo, exemplaque non pauca exscribi curando), sed etiam novo Pontificis jusfu-munitus, ut collectio Bullarum qua ante quinquennium mune-

B

ratus

(*) Quem adeundi prima sibi concedebatur facultas d. 28 Martii a 1782.

ratus fuerat, continuata perquirendi diligentia completeretur, in spem novam adductus fuit hujus thesauri augendi. Quocirca doctissimus Abbas CAJETANUS MARINI (*), Archivis Præfatus Papalibus, qui singulari diligentia priorem Syllogen conquiri atque exscribi curaverat, nunc etiam, accedente jam familiaritate cum præsente Romæ Generosissimo FREDENHEIM contracta, operam huic negotio navavit adeo benignam (**), ut intra semestre temporis spatium auctarium illi tradere (***), valeret Bullarum ad res Septentrionis nostri pertinentium neque minus fere locuples, (quippe quarum numerus ad CXLI pertingit (****)), neque Historiæ Arctoæ illustrandæ minus accommodatum, quam munus quinquennio ante eidem oblatum: quo factum est, ut numerus Bullarum (præter alia monumenta) quasi postliminio sic nobis restitutarum, CCXX:m jam exceedat. Hoc igitur et alia complura quæ expertus Romæ fuerat favoris documenta, non poterant non Virum Generosissimum permovere, ut domum pergens, novis litteris Colonia Agrippina (d. 18 Aprilis a. 1790) datis, mentem venerabundam Pontifici explicaret gratesque persolveret meritissimas: ad quas quod sibi datum fuit responsum, cum neque illud hoc loco recte abesse putaremus, subjungendum duximus:

PIUS

(*) Quæ eo usque se extendit, ut etiam notitiam cum eo communicaret rerum in Svecia a *Fecbtio*, *Typotio* et *Possevino*, ut Pontificis vel mandatariis vel legatis gestarum.

(**) Die 2 Octob. a. 1784, adhuc Romæ versanti.

(****) Connumeratis nempe (ut etiam in numero supra significato) quibusdam ejusdem argumenti atque formulæ, ad diversos homines missis. Lucem præterea dubiis nonnullis ac quæstionibus a Cel. *Nordin* propositis, benivole suppeditavit. Quæ res aliarum etiam quarundam nationum viris eruditis animum addidisse dicitur, ex Archivis Pontificiis, antiquitate non minus quam copia et ordinis laude insignibus, similia beneficia expetendi; necio autem qua fortuna

PIUS P. P. VI.

Nobilis Vir Salutem et lumen divinæ gratiæ. Quanto obser-
vantice gratique animi studio mente retineas ac memoria repetas
officia in nos tua, quibus bonarum artium amorem, quo eximie
præstas, honestandum duximus, e literis elucet die XVIII Aprilis
ad nos scriptis: earum lectio non solum nobis plurimum accidit
jucunda, sed incitamento fuit, ne diutius protraheremus voluntate
tibi mittendi IV Musei in Vaticano positi volumen, quod plu-
res ante menses Ennius, Joannis Baptiste filius Vicecomes publica
luce donavit: statuebamus equidem, ut illud una cum III volumine
a nobis acciperes, quod formis vetera monumenta exprimentiibus
nondum absolutis Antiquitatum amatores adhuc desiderent necesse est:
sed animo considerantes eruditio viro fore gratius ea quæ sunt edita
percurrere, quam expectare ut rerum edendarum ordo perficiatur,
moram præcidimus, ac volumen, quod publicæ literatorum commo-
ditati prostat, Francisco Piranesi ut ad te mittat, tradi jam fe-
cimus, a quo grave tibi non erit futura quoque, quæ prodibunt
hujus operis volumina, nomine nostro accipere: quam nostram sol-
licitudinem tibi non incompertam, ut integrum a nobis teneas opus
præfatum, novo in nos officii genere te vehementer confirmasse fa-
temur: liberalitati nempe tuae acceptam referimus marmoream tabu-
lam e foro boario, ubi vetusta rudera investigare ac perscrutari
delectabaris (), erutam, in quā Kalatores Pontificum ac Fla-*

B 2

mi-

(*) Respicit fossionem, quam, annuente Pontifice, Generosisf. FREDEN-
 HEIM in veteri *Foro Romano* (a. 1788 d. 3 Nov. & deinceps) suscipi
 eo consilio curaverat, ut celebris hujus loci topographiam, ex ea
 parte situs finiumque suorum adhuc parum vel certi vel cogniti, in lucem
 planiorem vindicaret: de qua re ipse in Oratione diligentius egit quam
 coram R. Academia Litterar. Humaniorum, Antiquitt. et Historiæ ha-
 buit, cum (a. 1795 d. 15 Dec.) locum inter Socios ejus Honorarios
 sibi oblatum occuparet, antea autem jam commemoraverat Cel. OBER-
 LIN in Ephemerid. Franco-Gallice (a Cell. MILLIN, NOEL et WA-
 RENS) editis, sub tit. *Magasin Encyclopedique*, ubi Tomi VI (a. 1795)

minum sunt expressi; cui sane tabulæ in Museum Vaticanum locum dari jussimus. Etsi vero munus sponte tua oblatum quantum nobis acciderit gratum, eidem Piranèsi tui studioſissimo tunc declaravimus, id tamen occasione dandi ad te literas oblata silentio præterire noluimus; qui id etiam a te majorem in modum optamus, ut commendatum habere pergas apud potentissimum Suecorum Regem eundem Piranèsi, quod sane officium ubi præstabis, de viro magis benemereberis, qui istius regni in hac urbe nostra negotia diligenter curat; tibique omnia lata faustaque cum divinæ gratiæ lumine a Deo Opt. Max. enixe adprecamur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum V Idus Junias MDCCCLXXX, Pontificatus Nostri Anno Decimo sexto. (Atque in ima pagina: Callistus Marinus, a Latinis epistolis Sanctissimi.)

Ad laudata autem Bullarum exempla ut redeamus, non ejusdem quidem singulæ, quod facile intelligi potest, pretii sunt (¶), ac nonnullæ propius ad res Danicas et Livonicas etc. quam nostras illustrandas spectant (quarum tamen notitiam cum viris illarum terrarum eruditis minime ingratam fore consideremus, neque illas silentio prætereundas duximus); sed omnes tamen magis minusve ad temporum illorum cum ingenium, instituta ac mores, tum fortunam, gesta atque eventus explanandos conferunt: in quibus, cum de temporibus hominibusque adeo a nostro ævo remotis, in tanta monumentorum penuria, quæstio est, leviora etiam subsidia grata habentur, atque res animo atento sagacique considerantibus, sæpe lucem vix speratam offerunt. Nobis quidem ad res Fennicas illorum temporum illustrandas haud contemnendam præbuuisse opem, opus nostrum quo-

p. 344 sqq. habetur: *Découverte faite au Forum Romanum, par M^e le Chevalier de FREDENHEIN, Svedois, etc.* (Cfr. imprimis p. 352-361), atque Ichnographia loci adjecta illustratur.

(*) Paucæ etiam (nonnisi VI) in Celsiano Indice jam commemoratae, aut superiori Collectione jam comprehensæ (IV), levi παροχατις reliquis additæ comparent.

quo has explicare conati sumus (*), fidem facere poterit; ubi ad harum Bullarum quasdam aliquoties provocare nobis licuit. Nec alios Historiae Patriæ studiosos, quibus easdem consulendi occasio fuit, nihil inde lucri reportasse, reperimus. Maximas igitur ob novam hanc atque egregiam Historiae nostræ, mediæ ævi, opem comparatam, Viro Generosissimo, cuius consilio, curæ atque diligentiae accepta referenda est, gratias deberi, jure meritissimo prædicamus: Cui Auraicæ quidem nostræ Camœnæ tanto illas debent majores, quo benignius Bibliothecam nostri potissimum Lycei, perpetuus Idem ejus benefactor præclaro hoc atque sui generis unico Cimelio litterario ornatam voluit, ipso exemplo quod ex Italia accepérat atque adduxerat (**), ante biennium (***) nobis munificentissime dicato atque transmisso, publico sic loco, in usum Historiae studiosorum Patriæ liberum atque communem, hic asservando. Quem favorem atque benignitatem non alia ratione rectius atque consilio et voto Donatoris, simul nobis significato, conformius nos posse publice agnoscere munereque tanto nos non indignos demonstrare, existimavimus, quam si, donec facultas contigerit integræ Collectionis typis evulgandæ, brevem Recensionem ederemus Bullarum sic nobis feliciter acquisitarum, eodem more modoque institutam, quo illam nostris antea cognitarum adornaverat in opere supra laudato Nob. A CELSE: ad cujus itaque librum supplementi instar nostram hanc operam simul spectari volumus. Quod autem loca nonnulla explicatione indigere videbantur, notis subjectis brevibus, hanc illis atque lectorum simul commoditati opem præstare studuimus. Verba ipsa Bul-

larum

(*) *M. Pauli Juusten Chronicon Episcoporum Finlandensium, Annotationibus — illustratum, compluribus Disputationibus Academicis hic Aboæ a. 1784 sqq. editum.*

(**) *Voluminibus constat Duobus, in Folio, corio rubro Maroccanor (Maroquin) pulchre compactis, quibus Insignia Papalia, operculis affabre impressa, peraptum addunt ornamentum.*

(***) *Die 12 Maii 1795.*

larum, quantum fieri commode potuit, in argumentis earum recensendis retinuimus: quæ ad Historiam Patriæ illustrandam plus habere momenti videbantur, earum argumenta paullo plenius enarravimus; reliquis brevius percensitis.

Cæterum, cum in veteri *Registro Ecclesiæ Aboënsis* (sive collectione Literarum variii generis, ad res Ecclesiæ hujus Cathedralis, ejusque privilegia, prædia, præbendas etc. pertinentium, et ejus in usum olim descriptarum) quod in Bibliotheca Regia Stockholmensi hodie asfervatur, (*) exempla quædam Bullarum Papalium occurrant, quas neque OERHJELMIUM neque qui ejus pressit vestigia PERINGSKÖLDIUM in suis Bullariis descriptis reperiamus (**) (unde neque Dns. A CELSE illarum meminit), neque in Bullarum Auctario per Generosiss. FREDENHEIM nobis comparato exstent; hac usi opportunitate, illarum etiam recensionem adjiciendam esse duximus, ut plena notitia hujus generis fontium Historiæ Patriæ, ejus amicis atque studiofis, qualis haberi jam posset, uno loco exhiberetur: sperantes, et nostram hanc qualemcumque operam non displicituram, et in primis merita de rebus Patriis illustrandis, Viri Generosissimi,

(*) Cujus etiam exemplum nitide descriptum Bibliothecæ Acad. Aboënsi addidimus, cum tam eximia inde lux ad Historiam illustrandam Fenniæ haberi queat; quod in commemoratis nuper annotationibus nostris ad *Pauli Juusten Chronicon Episcoporum Finlandensium*, copiosis demonstravimus exemplis.

(**) Non paucas quidem inde Bullas Papales (ut et alias aliorum literas) ab his duumviris, illorumve scribis, de promtas in Bularia illorum relatas, nec non per manus studiosorum Historiæ Patriæ circumlatas, in usum fuisse publicum adhibitas, constat; sed tamen non nisi obiter fuisse haec tenus consultum, experientia nos docuit. Quamobrem diligentius pervolvendum et examinandum, decrevimus; neque consilii nos pœnituit. Suspicio hinc enasci poterit, neque cæterarum Ecclesiârum nostrarum Cathedralium vetera Registra, talesque libros, (qui in R. Bibliotheca Stockholmensi itidem asfervantur), adhuc summa fuisse diligentia excusos? Si eos quidem, qui SCHEFERI et BENZELII manibus triti sunt, exceperis?

fissimi, cuius beneficio et consilio eum hic fructus debetur, tum
alios posthac debitum iri confidimus (*), animo laudeque qui-
bus

- (*) Non habebitur credo ab hoc loco alienum, paucis de fato commemorare Collectionis Literarum ad Reginam *Christinam* (hujus nostri Lycei fundatricem) scriptarum: qua de re nos facere certiores Generosiss. FREDENHEIM benigne voluit. Nempe cum tot supersint Literæ (publici, etiam juris, magnam partem, ab Ampliss. ARCKENHOLTZ etc. factæ) ab ipsa Regina scriptæ; dedit hoc Viro Generosissimo occasionem, etiam exempla literarum ad illam scriptarum (quarum multæ sine dubio ab hominibus Svecis, in primis primo tempore, missæ erant), quarumque vestigia in Bibliotheca Vaticana nulla reperirentur, curatius investi-gandi. Unde diligent inquisitione facta, atque instituto etiam, suo rogatu, per Dn. Abbatem *Santolini*, Amanuensem Bibliothecæ Vatica-næ, Epistolarum commercio cum Capite hodie Domus *Azzoliniorum*, didicit, penum Literarum ad Reginam missarum, quam igni tradi testamento suo ipsa juserat, integrum tamen, in potestatem hæredis sui ex ase Cardinalis *Azzolini*, vel potius hujus Nepotis atque hæredis *Pompeji Azzolini*, venisse: cuius ex filio nepos Marchio *Decius Azzolino*, qui Firmi (Fermo) hodie vivit, significavit (literis d. 25 Aprilis, 12 & 23 Maji, ac 6 Junii 1788 datis), cum nou multis post mortem Reginæ mensibus etiam Cardinalis decessisset, turbatas primum has res, ac peregrinante deinde patre suo (Marchionis *Decii*) ac post mortuo, sub tenera filii ætate, magis etiam dispersas fuisse, ita ut maxime sollicita investigatione instituta, nihil earum superesse compererit; accepisse tamen a Domesticis suis, ante 7 aut 8 annos, cum pars domus reficienda esset, inventum esse scrinium chartis repletum, magnam partem literarum genere iis in oris incognito perscriptis, (Svecico, ut videtur?) easque a muribus vehementer lœfas, fuisse in usus quibus dicari chartæ inepta solent (*Maculatur*) divenditas. Discere hinc quidem licet, spem omnem intercidisse ex hoc fonte lucrum aliquod Historiæ nostræ comparandi: sed operæ pretium fuit, verum eventus ordinem receivisse. Cæterum existimari facile potest, id quod res est, plerosque Codices res Svecicas spectantes, qui in Bibliotheca Vaticana asservantur, ex supellectili libraria ejusdem Reginæ illuc migrasse; quorum vel Indicem, a Generosiss. FREDENHEIM loco ipso confectum (adjunctis saepè excerptis, atque etiam integris quorundam monumentorum apographis, auctum) haud contemnendum Historiæ nostræ Litterariæ allaturum fore lucrum, haud ambigimus: ut vel ex rudi et

bus decet, a doctis popularibus agnatum, æstimatum et condecoratum iri.

imperfecto exemplo primi eorum catalogi ad virum Generosissimum transmissi, colligi potest, a Cel. FANT (*Observatt. Select. Historiam Svecanam illustrantium* Part. XI p. 115) exhibito. Nec dubitamus, quin eam operam beneficam, quam comparatis subitinere atque per studium monumentorum priorum colligendorum perpetuum, hujus generis divitiis, cum orbe eruditio communicandis, muneris publici labores exhibere sibi forte prohibebunt, facultate faltim aliis benigne concesfa (qualem nobis contigisse grati agnoscimus) easdem adeundi iisque utendi, liberaliter sit præstiturus,
